



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. II. Vtrùm omnes actus intellectus aut voluntatis specie distincti
necessariò habeant obiectum formale specie distinctum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

facilius cognoscibile; sic obiectum magnum & sufficienter illuminatum est magis visibile, quam parum & parum illuminatum. quandoque ex diuersa propositione obiecti, sic res remota est minus visibilis quam propinqua. Quod etiam spectat diuersitas medij, per quod res aliqua cognoscitur, quæ non cognoscitur in se immediate, sed in alio: vt cum Cæsar videtur in sua imagine, aut cum conclusio cognoscitur ex præmissis. in quo casu illud medium habet se etiam per modum obiecti formalis, quatenus est ratio mouens ad assensum siue cognitionem obiecti: & etiam per modum proponentis, quia proponit obiectum potentia: vt cognoscibile: unde quo hoc mediū ipsum obiectum perfectius repræsentat, & potentia: cognoscitur clarius obijcit, eo perfectior cognitio sequitur.

11 Tertiò, illa proportio aliquando pronenit ex conditione ipsius potentia: Experimentum enim multas res à nobis perfectius cognosci, quæ in se tam secundum entitatem, quam in ratione cognoscibilis, sunt longe imperfectiores alijs, quas imperfectissimè cognoscimus. Sic multa alia obiecta videmus perfectius quam solem, & corporalia melius intelligimus, quam spiritualia; & quidam capiunt facilius & perfectius mathematica, quàm metaphysica, alijs vero contrarij; idq; ex sola diuersitate ingeniorum.

Hinc patet Primò, obiecti perfectionem sapientissimè esse causam cur ipsum minus perfecte intelligamus. Quod etiam in angelis accidit: quoties ipsum obiectum est ipsis multò perfectius: tunc enim cum illud nequeant comprehendere, cognoscunt illud quadam cognitione non omnino ex omni parte euidenti, cum ei quædam ignorantia, & qualiteretæ quædam admixtae sint, quatenus illorum intellectus non satis capit ea quæ ipsum excedunt. atque ita illa cognitio est minus perfecta, quam si illa quæ se ipsos comprehendunt, quæ ex omni parte clara est & perfecta. Secus fit in cognitione earum rerum quæ ipsis sunt imperfectiores: quo enim hæ sunt perfectiores, eo sunt eorum ingenio magis proportionatæ, & sicut magis sunt cognoscibiles, ita eas perfectiore cognitione cognoscunt, si cetera paria sint. loquor autem semper de cognitione naturali.

12 Patet Secundò, dictam proportionem non esse per se & directè causam maioris perfectionis ipsius actus, sed solum indirectè, & quidem sæpè per accidens, quatenus est occasio aut conditio requisita vt potentia perfectius in actum influat. quod maximè patet, quando hæc proportio est maior & actus perfectior præcisè ratione maioris propinquitatis localis ipsius obiecti, aut quia hoc alia ratione perfectius potentia: obijcit; aut etiam quia est in se imperfectius, vt accidit in exemplis allatis. quibus casibus tota immediata, & per se causa cur actus sit perfectior, debet peti ex perfectiore influxu ipsius potentia: cum obiectum perfectius ex se potius natum sit causare actum imperfectiorem.

13 Ad primum argumentum contrarium allatum num. 1. nego antecedens generatim esse verum de omni specie actionis, vt ostendam

Cominck de act. supernat.

dub. 2. Nego etiam consequentiam: quia circa obiectum perfectius potest versari actio specie imperfectior ob diuersitatem potentialium eos actus elicientium, aut improprietatem obiecti perfectioris cum ipsa potentia. sic spiritualia obscurè, dubiè, & per alienos conceptus cognoscimus, atque ita cognitione essentialiter & secundum speciem imperfectiore, quam sit ea qua cognoscimus multa corporalia per proprios conceptus & omnino euidenter.

Ad secundum, nego assumptum: si quando enim hæc actiones in sua entitate alijs sunt perfectiores, hoc prouenit præcipuè ex principio actiuo, vt patet ex dictis. Vnde angelus actu perfectiore naturaliter amat virtutes, quam nos naturaliter amemus Deum.

Ad tertium, Respondeo solum probare secundam partem secundæ conclusionis.

D V B I V M II.

Verum omnes actus intellectus aut voluntatis specie distincti necessario habeant obiectum formale specie distinctum?

14 Aliqui id generatim affirmant; quia actus specificantur ab obiecto formali: ergo actus specie distincti habent obiecta formalia specie distincta. Hanc sententiam amplectuntur ij, qui ex eo, quod actus caritatis naturalis & supernaturalis differant specie, inferunt necessariò etiam differre obiecto formali: quos referam dub. 3. Item qui ex eo, quod caritas in via & in patria habeat idem obiectum formale, inferunt vtriusque actum esse eiusdem speciei.

15 CONCLUSIO. Actus intellectus & voluntatis variant speciem non solum ratione diuersi obiecti formalis, sed etiam ratione diuersi principij effectiui, aut ratione diuersi modi, quo idem principium effectuum tendit in idem obiectum. Ita Hurtado in lib. de Anima disput. 5. sect. 5. §. 32. & ij qui fatentur actum naturalem & supernaturalem differre specie, & tamen posse habere idem obiectum formale. quos citabo dub. 3. Huius etiam sententiæ videtur Lorca 2.2. d. 12. ad 4. vbi ait specificationem non pendere à solo obiecto, sed etiam à potentia.

Prior pars huius conclusionis sequitur ex dub. 1. vbi ostendi potentiam effectiuam essentialiter perfectiorem habere etiam effectum essentialiter perfectiorem, præsertim quando influit in effectum, quantum potest; unde sequitur, potentiam in essentiali specie altera perfectiorem, effectum specie perfectiorem producere. Quia vnā potentiam in ratione potentia: esse alia perfectiorem secundum essentialem speciem, nihil est aliud quam illam habere vim producendi effectum essentiali specie perfectiorem. Quod non solum debet intelligi quando ipsa versatur circa obiectum specie distinctum, sed etiam quando vtraque potentia habet idem obiectum formale: nam in vtroque casu vnā potentia est essentialiter altera perfectior; & consequenter perfectius agit, ac effectum essentialiter perfectiorem producit.

Confirmatur, quia ponamus summum angelum

H 2

gelum

gelum & infimum naturaliter comprehensivè intueri animam rationalem, tunc uterque habebit idem obiectum formale (scilicet ipsam essentiam animæ secundum se immediatè ijs obiectam) & cum uterque videat quiddam in ea videri potest (aliàs enim eam non comprehenderet) neuter aliquid videt quod alter non videat: & tamen dubitari nequit quin prioris visio sit essentialiter perfectior & alterius speciei, quàm secundi: nam aliàs possemus dubitare an vnius visio sit villo modo perfectior visione alterius. nam nulla hîc est ratio cur dicamus vnam esse perfectiorem altera, nisi quia vna procedit à principio essentialiter perfectiore, ex quo vel nullam, vel essentialiter perfectionem maiorem debemus colligere.

17 Secunda pars probatur, quia amor simplicis complacentiæ, quæ scientia aliqua, aut dignitas v. c. mihi placet, & desiderium inefficax, quo eam mihi desidero, & spes, quæ eam spero; habent idem obiectum formale, scilicet bonitatem earum rerum, quæ mihi bonæ & convenientes esse possunt (hæc enim sola, & nihil aliud, in omnibus ijs actibus me ad illarum rerum amorem excitat, ut fusius ostendam in materia de spe:) & tamen sunt actus diversæ speciei, ob solam rationem tendendi, quæ potentia in singulis actibus diversimodè in obiectum tendit.

Ad rationem contrariam, Respondeo antecedens non ita intelligendum, quasi omnis actus omnem suam speciem à solo obiecto accipiat; sed quod omnes actus, qui habent obiectum formale distinctum, sunt diversæ speciei; atque ita neganda est consequentia.

D V B I V M III.

Utrum omnis actus in substantia supernaturalis habeat obiectum formale specie distinctum ab omni actu secundum substantiam suam naturali:

18 Nota, satis constare dari aliquos actus supernaturales, qui necessariò habeant obiectum formale distinctum ab omni actu naturali: quia certum est nullam creaturam posse Deum naturaliter in se intueri, aut per proprium conceptum, & sicut in se est intelligere, qui tamen ut sic est obiectum visionis beatificæ.

Queritur igitur, utrum aliqui actus secundum substantiam suam supernaturales possint habere idem obiectum formale cum aliquibus actibus secundum substantiam suam naturalibus, v. c. utrum amor Dei naturalis & supernaturalis possint habere idem obiectum formale? Quidam id negant, quia tota perfectio & differentia substantialis actuum est sumenda ex parte obiecti formalis. ita Cuiusl. 1.2. q. 109. a. 1. dub. 3. §. 4. cõcl. 2. verbi. Secundo, ex parte vniusque. vbi docet, actum procedentem simul à principio naturali & supernaturali non fore in substantia supernaturalem si obiectum sit ordinis naturalis. & art. 3. in initio, verbi. Secundo notandum, &

alibi vult dilectionem Dei naturalem & supernaturalem necessariò distingui obiecto formali. Faudent Alexander p. 2. qu. 31. membr. 3. & Richard. in 2. d. 3. a. 7. qu. 1. ad 1. & alij. sed dictam eorum rationem satis in superioribus refutavi.

CONCLUSIO. Actus naturalis & supernaturalis secundum substantiam non differunt necessariò obiecto formali. Hæc est aperta sententia Molinæ in Concordia disp. 7. præsertim §. Nostram sententiam, in fine, & disp. 13. & 14. Vbi fuse docet, nos viribus naturæ posse elicere actus fidei, spei, & dilectionis Dei, etsi insufficientes ad salutem circa eadem obiecta, circa quæ eiusmodi actus prout requiruntur ad salutem per auxilium gratiæ elicimus. docet quæ esse ferè communem sententiam omnium antiquorum Theologorum. Et disp. 32. docet actus supernaturales, quod tales sint, habere non à diversitate obiecti, sed à singulari Dei auxilio actuali aut habituali, quo producuntur. & disp. 14. membr. 1. §. In eadem sententia, fuse probat hanc esse sententiam D. Thomæ, qui 2.2. q. 171. ar. 2. ad 3. & alibi sæpius docet dilectionem Dei naturalem & supernaturalem esse eandem secundum substantiam: quod non videtur villo modo ita intelligendum quasi actus caritatis quæ iusti Deum diligunt sit solum accidentaliter, siue secundum aliquem modum supernaturalis (sicut enim hoc verum non est, ita parum est credibile D. Thomam hoc sensisse) sed quia habent idem obiectum formale, atque ita secundum speciem, quam præcisè ab obiecto accipiunt, inter se conveniunt.

Probatur Primò, quia, ut ostendi dub. 1. & 2. etsi duo actus habeant idem obiectum formale, si tamen vnus procedat à principio in ratione principij siue virtutis effectiue essentialiter perfectiore, ipse erit essentialiter perfectior: at qui potentia coniuncta habitui alijs auxilio secundum substantiam suam supernaturali est principium essentialiter in ratione principij perfectius sola potentia naturali: ergo si utraque potentia agat circa idem obiectum formale, illius actus erit substantialiter perfectior, & consequenter supernaturalis in substantia, nulla autem est ratio cur negemus utrumque actum posse versari circa idem obiectum, ut magis ex dictendis patebit.

Probatur Secundo, quia dilectio qua Deus propter se diligitur, siue sit naturalis, siue supernaturalis, habet idem obiectum formale, scilicet bonitatem Dei, quæ in se bonus est, quæ est eadem siue quis diligit Deum amore naturali, siue supernaturali: ergo uterque actus potest habere idem formale obiectum. Quidam negant anteced. voluntque Deum esse obiectum amoris supernaturalis prout est auctor rerum siue donorum supernaturalium; amoris verò naturalis, quatenus est auctor rerum naturalium. Sed hæc optimè refutat Scotus in 3. d. 27. §. Contra primam viam. Quia etsi hæc considerationes siue rationes formales possint excitare in nobis diversos amores concupiscentiæ, quibus Deum diligimus tamquam nobis bonum, siue ut bonum nostrum; tamen sunt omnino impertinentes ad diversitatem amorum amicitia,

Alexand.
Richard.

19

Molinæ.

D. Thom.

Qua ratione

D. Thom.

dicat amorē

Dei naturalem

& supernaturalem

esse substantia-

liter eor-

dem.

20

21

Scotus.

tia,